



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 10. Fames mater saporis, cibos condit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

cum in Mundo vix stilla sit dulcedinis, adeo-
que parua. Est *multitudo* dulcedinis & varie-
tas; nam & anima eam sentit, & corpus, &
omnes sensus corporis: cum Mundus, quan-
do corpus delectat, animum stimulet & cru-
ciet. Est dulcedo aurium, vt apud S. Franci-
scum; est dulcedo in gustu Eucharistiæ, in
ouis, & fragis, in auibus, in pane diuino san-
guine tincto. Magna ergo multitudo dulce-
dinis diuinæ; parua & rara dulcedinis mun-
danæ, vel potius nulla; siquidem, quam pa-
rit, extinguit eodem instrumento. Sicut qui
eodem oris flatu ignem excitat, & necat.
Nam dum vino delectat, vino eodem cru-
ciat, oculorum lippitudine, capitis dolore,
podagra, & mille malis inductis.

§. X.

Fames mater saporis, cibos condit.

Quid quòd, sine miraculo, ipsa fames
est optimum cibi condimentum, quæ dulce
facit, quidquid comedunt *esurientes*, quos
Deus replet bonis? *Dulciores, post famem, epu-
la fiunt*, ait S. Ambrosius, *quæ assiduitate fa-
stidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt.*
*Condimentum cibi ieiunium est. Quanto au-
dior appetentia, tantò esca iucundior. Com-
mendat sitis poculum, nescit vinum querere.*

Luc. 1.
S. Am-
brof. in
tract. de
Helia &
ieiun.
cap. 9.

Et

Et mox: *Usu etiam pretiosa degenerant: quorum autem difficilis possessio est, eorum grata perfunctio. Ipse sol, post noctem, gratior: ipsa lux, post tenebras, splendidior: post vigilias, sopor dulcior: ipsa salus, post aegritudinis tentamenta, jucundior. Ab ipso mundi conditore didicimus, saepe diuersitatibus cumulari gratiam. Patrocinator ergo & conuiuio fames, ut gratior fiat mensa ieiunij.* Hæc S. Pater. Narrat Thomas Cantipratanus, venisse se, in ignotum, sibi pagum; & quia pedibus id iter confecerat, longitudine viæ adeò fuisse lassatum, ut, animo fugiente, moriendum sibi putaret. Fratres, qui eum comitabantur, quæ proximè patebat ingressus, domum presbyteri subeunt; sed, aperta janua, reperiunt clausum miserationi pectus. Neque enim vel nigerrimi panis frustum, pro homine inediâ deficiente, potuerunt obtinere. Inde ergo digressi longè latèq; ostiatim circum-eunt; nec quidquam accipiunt. In extremo pagi angulo casa hærebat, ita pauperis foeminae contubernium, ut ipsa stipe digna esset. Et tamen hæc, quæ minimum habebat, maximè omnium extitit liberalis. Fragmentum fortè vnicum furei panis illi erat: hoc ipsum dabat; magnum donum, si dantis ma-

Thomæ
Cantiprati
lib. I. A-
pum. c. 10.
§. 9.

num aspicias ac facultatem. Hoc ergo vis
spiranti Thomæ obsonium attulerunt. Ille
annonam cum socijs diuidendam ratus, o-
mnes ad communem mensam vocauit. Et
audi ipsum loquentem. *Resedimus. sub dumo,*
ait, panem comedimus. Et, licet palearum ari-
sta, quæ erant in pane, palatum comedentium
stimularent, nunquam tamen in vita mea sum
tam suauis deliciarum edulio delectatus. Opti-
mus coquus est appetitus, quo carent Api-
cij & manducones, qui nunquam bene ce-
nant, quia nunquam esuriunt. Est ergo &
hæc utilitas paupertatis, quòd egenis faciat
melius sapere cibum quemcunque, quàm
diuitibus epulas Iouiales: immò & diuiti-
bus, si volunt esse abstinentes. Hinc Arta-
xerxi & Ptolomæo aqua & panis delitiæ
fuerunt; & à Lacedæmonijs coquus omnis
juris nigri perpetuo decreto proscriptus est.

Plutarch.
in Laco-
nic. Cic.
§. Tusc.

§. XI.

*Animi letitia in minoribus sæpe maior,
quàm in magnis.*

Accedit ad hoc libertas animi, & vita-
curis vacua, quæ est vel hinc pompæ aulicæ
preferenda; quia illa anxietate libera omnia
reddit jucunda: hæc autem nunquam qui-
escit stimulis atque intemperijs exagitata.

Appono